DE GENII EPIDEMII IN MORBIS DIGNOSCENDIS ET CURANDIS DIGNITATE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXX. M. AUGUSTI A. MDCCCXLII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

SAMUEL SIGISMUNDUS FISCHER

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

L. POSENER, med. et chir. Dr., med. pract.

L. JACOBY, med. et chir. Dr., med. pract.

L. ENGLAENDER, med. et chir. DD.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS,

AD CINERES USQUE COLENDIS

H A S C E

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Rem, quam pertractare mihi in animo est, medici cujusvis aevi meliores quidem cognitam habuere, ejusque in morbis dignoscendis et curandis dignitatem magis minusve divinarunt. Quod vero usque ad nostra tempora plurimos eosque celeberrimos viros rem non tanta, qua digna erat, sagacitate esse perscrutatos contendam, vitio, opinor, mihi non vertet, qui historiam artis nostrae satis edoctus omnes, in quos ipsi sapientissimi genio epidemio neglecto inciderint, errores in memoriam sibi revocaverit. Quin plerique illam sententiam sane perversam abdicare non potuerunt, morbi quocunque tempore eandem semper faciem obtineant necesse esse, medendique rationem, etsi vicissitudines istorum judicio parvi aestimandae obviae fiant, neutiquam esse mutandam. Minima igitur eorum fuit copia, qui naturae vestigia intento oculo secuti, experientia longa, morbisque popularibus gravibus ac numerosis edocti, perversa illa scholae et opinionum commenta

reliquerunt et pro morborum diversa forma atque mutato charactere diversam mutatamque inierunt medendi viam. Quo ex numero praeclari Sydenhami inprimis mentionem faciendam esse existimo, ejusque e praeceptis huc pertinentibus egregium illud hoc loco jure citandum censeo(1): „Hoc saltem pro comperto habeo ex multiplici accuratissimarum observationum fide, praedictas morborum species (morbos epidemios), praesertim febres continuas ita toto, quod ajunt, coelo differre, ut, qua methodo currente anno aegrotos liberaveris, eadem ipsa anno jam vertente forsitan e medio tollas: quodque, ubi semel in geminam medendi rationem, quam haec vel illa febris species sibi vindicat, auspicato inciderim, ad eundem scopum collimans (favente, ut fit, optimo numine) metam quasi semper attingam respectu ad temperamentum, aetatem et reliqua ejusmodi usquequaque habito; donec exstincta illa specie novoque gliscente malo anceps rursus haereo, qua mihi via insistendum, ut aegris subveniam; ac proinde, nisi ingenti adhibita cautela intentisque omnibus animi nervis, vix ac ne vix quidem possum efficere, ne unus aut alter eorum, qui se primi meae curae commiserint, vita periclitetur, donec investigato jugiter tandemque per-

---

(1) Th. Sydenh. Op. ed. Kuehn. pag. 24.

specto morbi genio ad eundem perdomandum recto pede et intrepidus denuo procedam."

Sed ad rem ipsam nunc progrediamur. Potentiam igitur illam communem atque generalem, tanquam ἐπὶ δήμου positam, cui morbi per temporis longius breviusve spatium naturam, formam, characterem debent, genium appellamus morborum epidemium. Falsa vero atque perversa divisio genii epidemii illa in inflammatorium, nervosum, gastricum mihi videtur, quippe quae plane contrariis distributionis principiis ortum debeat. (Id quidem neminem sane offendet, quod, quemadmodum persaepe fieri solet, effectus cum causa efficiente sit commutatus.) Etenim quum prima denominatio morbi speciem designet, secunda ad characterem solummodo morbi, tertia denique ad locum affectum pertinet. En notionum miranda perversitas ex imperfecta rei ipsius cognitione exorta! — Quapropter existimo potius genium epidemium nuncupandum esse: secundum morbi speciem, quae principatum teneat omnesque alios morbos tanquam in potestatem suam redigat, et secundum reactionis, seu febris gradum atque characterem, quocum morbi incedant. Ex quo genium epidemium modo inflammatorium, modo rheumaticum, modo typhosum etc. vocare licet, alteraque ex parte modo dynamicum, modo adynamicum; quumque modus hicce duplex ubique aequo modo respici-

endus sit, denominatio evadit ex utroque mixta. — Tertium denique in genio epidemio designando, locum videlicet morbo affectum sedulo neglexi, quippe qui et sub constitutione una eademque persaepe commutetur et quod attinet therapiam, minus respiciendus mihi videatur.

Primum igitur genium epidemium, quod spectat ad morbi speciem, contemplemur ac videamus, quantam hac ex parte in artem nostram exserat vim.

Quodlibet morborum genus cum certis corporis partibus cognationem quandam habere, et in hasce praecipue ruere usque ab antiquissimis temporibus inter omnes satis constat. Verum enim vero sub certis conditionibus a quolibet morbo quamlibet partem affici posse perpaucis tantum inter veteres notum fuisse videtur, iis tantum, qui genio aliquo insigniter praevalente tanquam voce praeclara hancce sumere sententiam quasi cogebantur. Nihilominus risum movebant, qui talia in medium protulerunt, qualia praeclarus Stollius de morbis biliosis (1): „Ad encephalum, ait, delata humoris biliformis portio deliria, phreniti-des, apoplexias, genus omne convulsionum facit; ad oculos vero coecitates, repentinas cataractas, ophthalmias, corneae opacitates, maculas; ad fauces anginam; ad thoracem

(1) Aphorismi de cognoscendis et curandis febribus §. 343. 350. 355.

tussim, pleuritidem, peripneumoniam, haemoptoen; ad abdomen vomitus, choleras, dysenterias, colicas, diarrhoeas, conamina haemorrhoidum, mictus difficiles, haemorrhagias uteri et abortus; ad articulos artusque rheumatismum et arthritidem etc. etc."

Licet nonnulla minus apta in loco citato inveniantur, inprimis quum ipsa exanthemata ex hoc eodem fonte oriri duxerit auctor, nihilominus tamen dicta semper manent ingeniosa, notatu dignissima. Etenim sub hac quoque forma sententia longe plus valet et a veritate multo minus discedit, quam illorum, qui hisce in casibus aut meram viderunt inflammationem, aut, si symptomata aliquando melius perpenderunt, complicationem cum illa inflammatione connatam. Quin plerique, quod maxime dolendum, jam satisfecisse sibi visi sunt, si modo locum morbo affectum cognitum haberent et modo pneumoniam, modo anginam, modo meningitidem etc. distinguerent. Quales vero haece sint affectiones, a quanam morbi specie dependeant, utrum sit illa pneumonia mere inflammatoria, an rheumatica, an biliosa, an typhosa, an alius indolis, id quidem nihili aestimatum videmus. Atqui in hac re potissimum recte intellecta totam tanquam in cardine verti artem medicam, nunc est satis exploratum. Quodsi res ita se habet, quanta assiduitate genius epidemius sit re-

spiciendus, cuique clare patet. Constat enim inter experientissimos morbum haud raro tanquam Protei faciem prae se ferre, summaque tantum diligentia respectu ad genium epidemium habito posse dignosci. Moneam nonnisi hoc loco de formis diversissimis, cognitu illis difficillimis febris intermittentis, typhi, rheumatismi, cholosis. Nulla enim fere pars reperiri potest, quin qualibet horum morborum specie corripi possit. Quod facile quisque persuasum habebit, qui vel ipse hujus generis morbum epidemie grassantem viderit, vel a scriptoribus morbos populares sedulo inquirentibus doctus erit. Quid vero est, quod hisce in casibus maximi persaepe discriminis naturam morbi alicujus melius nos edoceat, nisi genius epidemius? Quemnam certiorem sequi licet ducem? Namque ipsi experientissimo naturam atque indolem morbi alicujus veram, utpote quum externa species et symptomata gravissima eadem semper appareant, perspicere non contingit, nisi indefesso genii epidemii studio ad ipsas minimas morborum differentias perscrutandas quasi adducatur. Quam vero strictam et accuratam morborum diagnosin non inutile atque frustraneum medici opus esse, sed ad aptam ac salubrem curandi methodum instituendam omnino necessarium, nemo est, qui neget. Id enim extra omnem dubitationem positum videtur, quin pro natura

morbi diversa, medendi rationem mutari oporteat. Aliam enim exposcit medelam pneumonia mere inflammatoria, aliam rheumatica, aliam typhosa, aliam biliosa, aliam intermittens et sicuti in pneumonia, non minus in meningitide, apoplexia, pleuritide, ophthalmia etc. pro diversa morbi natura diversa curandi via est insistenda. Sed longe facilius rem cognitam habere, quam in eam non peccare. Quamquam enim cujusvis epidemiae historia clare nobis demonstratum est, mutatam mutato genio epidemio sanandi rationem adhibere medicos coactos fuisse, illosque tantummodo magno cum successu aegrotis succurrisse, qui ad hancce rem animum diligenter adverterint, alios e contrario a scholae opinionibus non secedentes nihil profecisse, nihilominus tamen res est a maximo medicorum numero plane neglecta. Quotiescunque vero tali medicorum negligentia vita aegroti in discrimen vocata sit, quisque facile concedet, qui formas illas febris intermittentis species, sic dictas larvatas: uti apoplexiam, amaurosin, tetanum etc., in mentem sibi revocaverit. Quae omnia, si quidem tempore adhuc secundo recte dignoscas, curatu non adeo difficilia tibi erunt, quemadmodum exemplis multis habemus oomprobatum; omnino vero spes vitae aegroti servandae evanescit morbo nimis provecto. Non aliter res sese habet in morbis illis bilio-

sis a Stollio observatis. Omnia enim remedia a schola vulgo praescripta sine ullo successu adhibebantur, immo vero statum valde pejorem reddebant, exceptis emeticis et nonnunquam alvum purgantibus. Nec possum, quin hoc loco e vita praeclari Stollii nonnulla huc pertinentia divulgem, quae dilucide monstrant, unam eandemque medendi rationem, quamquam sapientissime excogitatam, minime in omne tempus sufficere, sed pro genio epidemio praedominante rite semper instituendam esse. Ipse enim vir eximius insigni ingenii acumine praeditus primis praxeos annis, praeceptis illustrissimi de Haen seductus naturam morborum biliosorum falso dijudicans, a medendi genere tunc tempore usitato recedere noluit, id quod nonnisi cum infaustissimo successu fieri potuit. Non multum idcirco abfuit, quin arte medica plane se abdicaret, nisi indefesso operum Sydenhami studio ad rectam naturae viam transductus esset. Ipse hac de re apte et vere locutus est (1): Plurima animo passus sum, plurima etiam corpore, donec rejectis, qui me seduxerant, aut saltem non instruxerant, auctoribus, stabiles mihi tutosque medendi canones efformarem, quos assidua contemplatio febrium epidemie grassantium sibique relictarum

(1) Ratio medendi. T. IV, pag. 40.

suppeditaverat." — Restat hic, ut de morbo moneam ab omnibus fere unius ejusdemque semper indolis existimato, nempe dysenteria, quamquam Eisenmann ingeniose demonstravit, hancce recti affectionem pro varia morborum constitutione variam quoque faciem ostentare variaque tantummodo curatione profligari posse. Res est sane momenti maximi, ac dictat et ratio et officium hanc ob causam semper observandum genium epidemiarum.

Alia ex parte non minus intento animo genium epidemium respicere necessarium mihi videtur: in morbis sic dictis intercurrentibus. Sed fateor rem valde difficilem mihi videri, quippe quum facile morbum complicatum ducere possimus, qui revera nonnisi est unus idemque in loco tantummodo minus solito, verbi causa pneumonia et pleuritis illa biliosa, intermittens, typhosa etc. Sed utut res sese habet, nihilominus exemplis copiosissimis satis est comprobatum, morbos et ejusdem indolis et naturae diversae, nisi forte, quod nonnunquam fieri solet, prorsus sibi oppositi sint, ut alter altero excludatur, communicationem secum inire posse, ita ut modo symptomata ex utroque commixta nobis appareant, his vel illis praevalentibus, modo cognatione arctissima tanquam novus morbus in conspectum veniat. Sic febres biliosas cum intermittentibus, cum typhis aliisque hujus generis morbis conjun-

etas videmus, eodem modo, quemadmodum inter omnes constat, omnia exanthemata acuta cum morbo principatum tenente conjunctionem inire possunt. Quocirca hic ubique genio epidemio indulgeamus necesse est, ne emolumentum, quod ab altera parte viribus enixis aegro paraverimus, ab altera plane perdamus, eam tantum ob causam, quod hostem illum communem, morbum videlicet stationarium nimis neglexerimus. Nam etsi complicatio cum morbo epidemie grassante parvi momenti esse initio videatur, tamen organismo quocunque morbo debilitato occasio praebetur haud parvi aestimanda, qua morbus ille epidemius quam celerrime propagetur.

Immo vero in morbis intercurrentibus sine illa complicatione morbus stationarius haud negligatur, ne forte medicamenta adhibeamus alioquin quidem apta, sub hac vero rerum conditione valde periculosa, utpote miasmati illi universali aegrotum nimis exponant. Quisque enim bene cognitum habet, quo tempore typhus epidemie grassetur, ab emeticis ipsis in febribus gastricis esse abstinendum; neque minus omnes, qui choleram morbum observarunt, quanta cum cautela remediis alvum purgantibus uti licuerit, nobis narrant, quo eodem modo, quum miliaria grassaretur, nonnisi cum magno aegrorum discri-

mine sudorifica adhiberi potuisse inter omnes satis constat. Ex quibus omnibus satis liquet, esse medici sapientis intento oculo genium epidemium semper observare.

Ad aliam nunc procedam partem, qua demonstretur, quomodo vulnera et febres puerperàles pendeant e genio epidemio, et qua ex causa hoc tantummodo bene cognitò possint recte dignosci apteque sanari. Quod vulnera et febres puerperales una complectar, nemini mirum videbitur, qui febres quascunque puerperales, quemadmodum praeclarus Eisenmann ingeniose docuit, ab uteri vulneratione per partum prognata ortum habere cognoverit. Sed his omissis videamus, quantam vim in vulnera exserant morbi stationarii.

Cuique satis patere oportet, quemadmodum contagium cujusvis indolis in vulnere quamquam levissimo facillime efflorescat, atque inde latius quam celerrime penetrans totum corpus veneno afficiat, non alio modo miasma sese habere. Et revera epidemiarum historia satis confirmatam habemus, constitutionem epidemiam non parvum in vulnera pondus habere. Namque exempli gratia Stollius febribus biliosis dominantibus hocce eodem charactere vulnera praedita fuisse refert, neque minus Roederer et

Wagler (1) mutatis mutandis idem de epidemia illa febris mucosae enarrant, et pari modo scriptores diversissimi typho regnante gangraenam, uti ajunt, nosocomialem saepissime obviam fieri tradunt; quin et tetanum atque trismum e vulneribus prognatum praecipue genio epidemio rheumatico ortum debere nemo ignorat. Tametsi e mutato genio epidemio mutata vulnerum sepsis exoriatur necesse est, nihilominus tamen auctores hac de re disserentes diversas formas non satis distinguebant, sed nomine gangraenae nosocomialis diversissimas hujus generis species complectebantur. Verum enim vero res est momenti maximi, diligentissima animi intentione digna, quippe qua multa pericula nosocomiis advehantur maxime in bello.

Nuper vero Ill. B. Langenbeck methodum perfectam nos docuit, qua vulneratis, si morbus aliquid malignus grassetur, quodcunque periculum removeri possit. Erysipelate enim Gottingae epidemie regnante omnibus aut ulceribus aut vulneribus laborantibus magnum periculum imminebat, quum illa complicatione praecipue in nosocomio chirurgico non solum ulcerum acque ac vulnerum sa-

(1) Non solum in nosocomiis, sed in honoratioribus quoque omni licet cura adhibita, durante hac epidemia mucosa, vix ulla operatio chirurgica prospere successit, sed semper aliquid adversi accidit. Eadem et aliorum vulnerum ratio est, licet levissima fuerint.

natio impediretur, sed ob metastasin erysipelatis in meninges haud raro vita periclitaretur. Quapropter nulla operatio chirurgica tunc temporis perfici poterat, quin discrimini aeger exponeretur. Illustrissimus igitur Langenbeck hasce affectiones non complicationes jure existimari posse bene ratus, sed a vulnere ipso tanquam fomite exortas, omni modo aërem utpote materie illa morbifica plenum a loco vulnerato arcere studebat, id quod egregio cum successu ei contingebat vinctura e panno cerato. Quin et omnis suppuratio in vulneribus sat amplis, nisi forte homo cachecticus esset, hoc modo plane est suppressa. Successus igitur satis prosperi, aemulatione omnium dignissimi! Nam quot pericula laudata methodo adhibita tolli possunt, imprimis in bello, in quo e vulnerum tantummodo sepsi milites ipsos validissimos periisse, omnemque operationem magno cum periculo conjunctam fuisse nemini ignotum est. At vero quum haecce methodus non ubique usurpari possit, genius epidemius eo magis est observandus, ut vulnerum veneficio exorto medelam adhibeamus pro morbi specie rectam atque idoneam. Neque enim sufficit, quemadmodum persaepe fieri solet, e symptomatibus quibusdam inflammatoriis protinus inflammationem dignoscere nec idcirco satisfecisse nobis videa-

(1) Holschers Annalen. V. I.

mur, si modo apparatu antiphlogistico usi simus. Non possum, quin Eisenmanni verba hanc ad rem pertinentia hic in medium proferam (1):

„Den Infektionen bei Leichenöffnungen stehen jene merkwürdigen Fälle gegenüber, die im Jahre 1824 auf der Schiffswerfte zu Portsmouth vorkamen: bei mehreren Arbeitern entstand nach leichteren oder stärkeren Verwundungen ein ähnlicher diletärer Krankheitsprocess im Zellgewebe, wie der oben bezeichnete in Folge von Leichenöffnungen vorkommende, und von 15 Arbeitern, bei denen sich eine solche Wundenverderbniss eingestellt hatte, starben zwölfe. Auch der Wundarzt der Schiffswerfte, J. Bell, welcher sich bei der Leichenöffnung eines auf diese Art zu Grund gegangenen Arbeiters den Finger verletzt hatte, starb ebenfalls in Folge dieser Verletzung. Dieses Ereigniss hat in England wohl Aufsehen erregt, und diess um so mehr, da vom 24. Juni bis zum 31. December 1824 über 250 Arbeiter in Folge von Verletzungen und den hinzugekommenen Wundkrankheiten zur Arbeit unfähig wurden; allein Alles, was die englische Medizin darüber zu Tag brachte, war die Vermuthung, es möchte das Tighholz, bei dessen Bearbeitung die Verwundungen vorgefallen waren, Schuld an dem Unheil

(1) Die Wund- und Kindbett-Fieber. 1837. p. 114.

sein, während doch früher in verschiedenen Weltgegenden Tausend und Tausende von Verletzungen mit diesem Holz vorgefallen waren, ohne im Entferntesten mit solchen Folgen verbunden zu sein. Die zu jener Zeit in Portsmouth herrschenden Krankheiten zu betrachten und daraus etwa die krankhafte Luftconstitution kennen zu lernen u. dgl. daran scheint man nicht gedacht zu haben, wenigstens hat von solchen Untersuchungen nichts verlautet. — Denjenigen, die einen Rath von mir annehmen wollen, empfehle ich, diese sogenannte verbreitete Zellgewebsentzündung nicht als eine Entzündung mit Blutegel und Aderlässe, sondern wie ein typhös putrides Leiden durch Fomentationen mit Chlor und durch einen etwas beherzten inneren Gebrauch des Chlors zu behandeln und statt Nitrum und Calomel lieber Wein und Campher zu geben."

Alia morborum classis, febres puerperarum, non minus ac vulnera a genio epidemio pendere, et hoc tantum bene respecto recte et dignosci et sanari posse videntur. Miras et vere ridiculas sententias his de febribus diversis temporibus auctores protulerunt, modo absurdissimis physiologiae principiis suffultas, modo e symptomatis singulis falso perpensis exortas. Qua ratione alii lochiorum, utpote materiei putridae inter graviditatem in humoribus accumulatae,

fluxum perversum causam hujus febris ducebant, alii lactis in diversas partes metastasin, alii nonnisi locum affectum respicientes morbum modo metritidem, modo peritonitidem, modo enteritidem declarabant, alii pro epidemiae regnantis indole diversa omnes febres puerperales aut omnino typhosas, aut biliosas, aut erysipelatosas existimabant. Quibus ex opinionum differentiis jam rem accuratius contemplanti elucere oportet, omnes fere sententias illas pro tempore quidem veras fuisse, et errorem in hoc tantum verti, quod quaecunque observarunt auctores, in omne tempus vera atque idonea existimabant. — Sed fuerunt quovis aevo, qui non solum febris causas diversas agnoscerent, sed etiam, quod momenti majoris, genii epidemii influxum in hasce febres procreandas recte dijudicarent. Sic Stollius egregiam illam sententiam tulit: „Nulla febris est, quae non aliquando in puerperam cadat; ea vero praeprimis, quae constitutioni praeest.“ Neque minus Burserius rem recte intellexisse se ostendit verbis hisce (1): „Quas ob res vehementer suspicor, non unam febris hujusce originem naturamque esse, sed aliam atque aliam, quamquam vulgo lactea, quasi a lactis secretione proflueret, perperam atque improprie nuncupetur.“ Verum enim

(1) Instit. medic. pract. ed. Hecker. Vol. I. p. 372.

vero non temere contendere mihi videor **Eisenmannum** primum esse, qui praeclare et ingeniose demonstraverit, febres illas morbos esse diversissimos, pro genio epidemio principatum tenente ex uteri vulneratione per partum prognata ortum plerumque quidem ducentes. Quam originem si qui sint, qui dubitent, tamen ceteroquin sententiam esse plane comprobandam potest nemo inficiari, qui quacunque in epidemia has quoque febres grassantes atque symptomatum constitutioni generali communium participes, quare diversa diversis temporibus symptomata auctores consignarunt, unquam viderit. His rite perpensis certo constat, in cognitione morborum multum nos proficere posse, si semper genii epidemii diligentia, quam meretur, ratione habeamus. — Quis est vero, qui sub hac rerum conditione dubitare possit, quin medendi methodus pro indole febris puerperalis diversa plane contraria sit oporteat? Etenim id quidem satis est exploratum febrem biliosam, typhosam, erysipelatosam etc. remediis tantum diversissimis cum successu impugnari posse. Quocirca fortasse non injuria affirmare licet, hac re justo magis neglecta factum esse, ut multae puerperae febribus hisce affectae morti tanquam certae deditae fuerint. Namque quamvis inficiari non liceat, remedia diversissima a medicis adhibita fuisse, tamen apta perraro in usum venerunt et si forte, non assiduitate, qua

res digna esset; nec mirum, si ad imperfectam morbi cognitionem respexeris. Sed haec hactenus.

Satis igitur cognovimus, quanto momento genius epidemius sit in morbos dignoscendos atque curandos, quod attinet morbi species, quascunque progignit. Verum restat alia quoque pars, ex qua non minus dignitas genii epidemii satis patet, nempe morborum characteres, seu quod hodie magis usitatum videtur, reactionis gradus diversi, quibuscum morbi praecipue acuti incedunt. Res est nosologis antiquissimis jam satis cognita, etsi inficiari non licet, temporibus diversis absurdis cum theorematis commixtam eam fuisse, uti ex denominationibus rei diversissimis satis elucet. Sed hucusque etiam nomina firma omnibusque communia nondum inventa sunt; plerique quidem distinguunt characterem morbi synochalem seu inflammatorium, et typhosum seu nervosum, id quod quum una cum charactere morbi speciem significet, melius cum verbis d y n a m i c u m et a d y n a m i c u m commutari posse mihi videtur. — Quamquam igitur morbos certos cum certo quodam reactionis gradu incedere, verbi causa inflammationes cum forma dynamica, typhos e contrario cum adynamica nemo ignorat, neminem tamen in medicinae historia paululum

versatum fugere potest, hocce multis ac diversis modificationibus subjectum esse pro genio morborum epidemio. Namque omnes morbi per complurium annorum spatium, non solum inflammationes, rheumatismi, exanthemata, sed ipsa longa typhoidum series, characterem dynamicum prae se ferebant, dum alio tempore omnes, ipsae inflammationes etc., symptomatis plane diversis nobis obviam fiebant. Ex quo vero fonte differentiae illae oriantur, quamquam hypotheses sat multae a scriptoribus propositae sunt, minime cognitum habemus: namque etsi sententia satis probabilis videtur et naturae consentanea, e majore minoreve noxarum vi et intensitate huncce morborum modum originem interdum ducere, tamen longe ea abest, ut in morbis diversissimis ipsis chronicis rationem hujus rei nobis praebeat sufficientem atque idoneam. Sed utut res sese habet, vera et documentis gravissimis probata et irrefutabilis manet. Ita exempli gratia aetate Sydenhami longum per tempus constitutionem dynamicam invenimus, qua omnes morbos indolis diversissimae praeditos videmus, donec subito contrarium exstitit, ita ut Sydenhamus rei dignitatem recte perpendens schedulam illam monitoriam de novae febris ingressu scripserit. Eundem statum dynamicum medio saeculo praeterlapso cernimus, ab hoc vero tempore adynamicum, talem quidem, qualis nunquam antea visus est,

donec ab anno hujus saeculi undecimo ad vicesimum secundum rursus genius inflammatorius ubique locorum apparuit, quem tempore recentiore status adynamicus rursus excepit. — Sed quaeritur, quanta dignitate sit haecce genii epidemii vicissitudo in morbis dignoscendis et curandis?

Difficultatem morborum recte cognoscendorum, quum omnino agnoscamus, tum praecipue confiteri debemus, quum omnes cujuscunque indolis morbi in eo, quod maxime in oculos cadit, in febris videlicet natura plane congruunt. Quod quia omnino medicum haud raro in angustias adducit, eo magis tum potuit fieri, quum illa de febribus essentialibus sententia ab omnibus esset recepta, ita ut satisfecisse sibi viderentur medici, si modo febris gradum atque genus perscrutati essent. Itaque non mirum, quod in hac sola febris contemplatione essentiali, morbi natura plane neglecta, modo nonnisi febres sic dictas typhosas, modo nonnisi inflammatorias viderunt medici. Quo ex fonte non solum, quod paullo post explicare mihi in animo est, perversa medendi ratio evasit, sed et absurdissima de morborum natura theoremata. Meminerim tantum, ne multa alia temporis praeteriti hic afferam, perversae illius sententiae a Broussais excogitatae, quoscunque morbos, quippe qui tunc temporis characterem dynamicum prae se

ferrent, ab inflammatione partis alicujus pendere. Quae opinio, cujus perversitatem hodie quisque nostrum recte intelligit, suo tempore plerisque medicis iisque celeberrimis haud refutanda videbatur, quum genius epidemius ei faveret. At valde dolendum est, quod historiae artis nostrae praecepta de mutatione morborum adeo ignoremus, ut cuique sententiae e tempore prodeunti nimis indulgeamus. Fieri enim non potest, ut rectam perfectamque morborum cognitionem assequamur; si solummodo e facie, quam nostro tempore praebent, petamus; nonnisi e diligentissima comparatione et eorum, quae ipsi observamus et eorum, quae a veteribus sunt observata, spectatum attingemus scopum.

Verum etsi ab illa tanquam universali perversitate liberati sumus, non minus tamen in morbo hoc vel illo dijudicando facile decipi possumus, nisi genium epidemium diligenter respiciamus. Si appareat verbi causa typhus abdominalis charactere magis dynamico, quod decenniis praeterlapsis accidebat et nunc quoque plus minusve fieri solet, morbus sane plane diversus videtur ab illo, quem auctores saeculi praeteriti egregii descripserunt. Et profecto haud raro audivi judicantes, neutiquam hancce morbi formam typhum esse, sed potius glandularum Peyerianarum inflammationem, ad quam accesserit affectio quae-

dam gangliorum abdominalium (sane ignota): quare praeferendum esse nomen morbi dothienteritidis. Attamen nihilominus quemque rei naturam profundius indagantem unum eundemque morbum agnoscere oportet, cujus differentiae nonnisi in febris gradu diverso ponendae sint, id quod ab auctoribus praeclarissimis luce clarius demonstratum esse mihi videtur. Id quidem, opinor, neminem ad illam falsam sententiam adducere quit, quod inflammationis sic dictae vestigia in mortuis animadvertantur, quippe quae in morbo cujuscunque indolis vix facile non inveniantur. An rheumatismum, quod nonnunquam cum stasi et exsudatione incedat, protinus inflammationem existimas? Est sane sententia a scriptoribus non ignobilibus prolata, sed, uti reor, hodierno tempore argumentis gravissimis refutata.

Alia autem ex parte pariter genium epidemium summa cum attentione observari oportet, ne quid ex hoc solo prognatum morbo alicui characteristicum ducamus. Multa enim a nosologis iisque celeberrimis morbo cuidam pathognomonica existimantur, quae reapse nonnisi e febris gradu sunt exorta. Sic in typho pathognomonicum putatur dissolutio illa sanguinis, diminutio et corpusculorum sanguinis et fibrinae et albuminis, dum aqua augeatur: falso quidem, quum haece sanguinis mutationes non tantum in typho, sed in omnibus etiam morbis inveniantur, qui febri

adynamica vel potius septica incedant. Ipsa enim in pulmonum phthisi idem ab auctoribus multis saepissime observatum constat. — Quid, quod de crisibus pathognomonicis, ut existimant, dijudicandum sit, utpote quae a constitutione cujuslibet aegroti, praecipue vero a constitutione epidemia tam clare dependeant. Quare dissensio illa hac de re inter auctores haud superanda. Illa vero opinio a veritate maxime mihi abhorrere videtur, qua crisibus materiae morbificae extrorsum ferantur, nam e diversa criseos natura in uno eodemque morbo satis patet.

Aliud quid nec id spernendum, quod e genio epidemio pendet, quodque, nisi animo intento usi simus, facile in errorem nos adducere potest, differentia mihi videtur in iis, quae morbo producuntur. Inter omnes enim satis constat, rheumatismum genio dynamico praevalente, cum inflammatione, uti ajunt, haud raro gravissima complicatum esse, ita ut in pleuritide rheumatica eximiam exsudationis copiam inveniamus. Ex quo persaepe ille error emergit, sed non in aegri emolumentum, quo rheumatismus pro mera inflammatione existimatur. Idem nobis occurrit in bronchitide sic dicta maligna (bronchopyra Eisenm.), quae quamdiu sputa glutinosa, puriformia a febri adynamica pendentia in conspectum veniunt, recte dignoscitur, minime vero, si characterem magis dynamicum prae se ferens,

sputis pneumonicorum similibus insignis est. Neque ullo modo dubitaverim, mutationes illas in intestinis, quae in typho abdominali inveniuntur, ab Ill. Rokitanski egregie descriptas, nihilominus valde abhorrere ab his, quae tempore praeterito ab auctoribus, verbi causa ab Ill. Heusinger, delineatae nobis sint. In universum haecce lex jure, opinor, stabilienda mihi videtur: genio epidemio dynamico, seu inflammatorio vulgo sic dicto, non solum exsudationes magis plasticas esse, sed etiam, quod majoris momenti, omnino affectiones topicas magis obviam fieri; contra genio epidemio adynamico seu nervoso materies morbo productas aut magis corruptas, putridas, parcas aut nullas inveniri, quae morbum aliquem topicum demonstrent. Ex quo fit, ut hic omnia e morbo universali, illic vero ab affectione topica deduci posse videantur. Et profecto a veritate discedere mihi non videor, si contendam, genio inflammatorio potissimum tribuendum esse, quod et opinio illa de febribus essentialibus debilitata atque relicta sit, morbi vero locales ab hoc tempore cura majore gaudeant, et anatomia pathologica abhinc potissimum apud omnes multum valeat valdeque ab omnibus excolatur.

Quodsi fieri non potest, quin genio epidemio, quippe quo non satis intellecto ad perversitates et errores inducamur, bene vero perspecto ad naturam morborum recte

dijudicandam, magnam in morbis dignoscendis et perscurtandis dignitatem tribuamus, non minus ejus monumentum in curationem morborum apte instituendam luce clarius cuique patebit. Namque constitutio epidemia mutata quum novas de morbis sententias progignit, tum novas atque mutatas medendi methodos. Jamjam enim commemoravimus characterem morborum inflammatorium temporibus Sydenhami et huic plane consona medendi ratio a Sydenhamo, viro illius aevi praeclarissimo, excogitata nobis apparet. Methodus enim antiphlogistica, expectativa, derivativa in morbis cujusvis generis laudatur: in inflammationibus veris, in rheumatismis, in exanthematibus acutis etc. Prudenti enim, ait (1), fiducia affirmare lubet, quod dicta methodus curationis per venaesectionem et purgationem expediendae plus alia quavis praestabit in febribus quam plurimarum specierum expugnandis. Et profecto hancce methodum, quippe e diligentissima naturae observatione profectam constitutione eadem vigente nonnisi in aegrorum emolumentum exercitam fuisse, nemo est, qui neget. Verumenimvero quum vir ille clarus ipse erraverit, quod laudatam methodum nimis propagandam censuit, ipsam in pestem (quod Ill. Morton experientiae hac de

(1) Sydenh. Op. univ. ed. Kühn. pag. 479.

re multo largiori innixus jure vituperavit), quumque in rheumatismi v. c. curatione antiphlogistica, etiam mutata, quemadmodum ipse recte monuit, constitutione, perseveraverit: num mirum, quod aemulatorum copia hance medendi rationem, utpote a Sydenhamo celebratam, omni morbo aeque ac cuique tempori omnino consentaneam existimarit. Quem errorem sane evitassent, si modo magistri de mutatione rationis medendi pro constitutione generali regulam tanto, quanto digna erat, studio observassent. Verum quovis aevo eundem errorem animadverti licet, nam Scylla fauste evitata protinus in Charybdim properantes videmus medicos. Quamquam enim exemplis eximiis luce clarius demonstratum erat, antiphlogosin neutiquam nec in quovis morbo, nec in quavis constitutione adhibendam esse, nihilominus rursus hancce arripuerunt perversitatem a Broussais nuper celebratam, ac si in hac sola methodo aegrorum salus ponenda esset.

Sicuti autem genus morborum dynamicus antiphlogosin exposcit semperque nimium in modum hancce methodum excitavit, ita constitutione adynamica medendi via plane contraria provocatur. Etenim si illic totum studium in eo ponendum est, ut vires naturae tanquam effrenatas quantum possumus debilitemus, hic nostrum videtur, remediis excitantibus viribus jam satis debilitatis quam maxime

succurrere. Ex quo fonte Brownii illa praecepta exorta videmus, quae quum tempore etiam favente haud raro inepta et perversa fuissent, ultra limites adhibita nonnisi damnum irreparabile aegrotis ferre potuerunt.

Exempla igitur larga manu depromit historia, quibus satis comprobatur, secundum genium epidemium medendi rationem instituendam esse, falsamque atque damnificam illam esse opinionem, qua curationis methodus suo tempore jure celebrata, in omnia saecula eodem jure atque successu adhiberi possit. Quocirca eos tantum viros, haud magnum numerum, laudibus celebrat historia meritis, qui constitutionem illam morborum universalem et recte perspectam habebant et remediis aptis impugnabant. Neque possum, quin hoc loco Lentinum, virum praeclarissimis omni jure adnumerandum, commemorem, ejusque verba e longa et accurata observationum serie deprompta, quibus ea, quae in medicina expertus est, apte quasi concludit, in medium proferam (1): „Meine Absicht war, Aerzten, die Abraham noch nicht gesehen haben und die Propheten der Vorzeit nicht lesen mögen, oder können, auf den Wechsel der allgemeinen Constitution, mithin auf die äusserst nothwendige Anschmiegung

(1) Lentin, Beiträge zur Arzneiwissenschaft. T. III. S. 227.

der Heilart an diese Aenderung aufmerksam zu machen und ihnen zu sagen, dass eine und dieselbe Heilart eben so wenig jeder Constitution, als jedem Individuum genüge."

Quod si ita est, valde reprehendendum mihi videtur, quod, quemadmodum persaepe in compendiis cujusvis generis facile reperitur, modo tanquam dictatorio hoc vel illud remedium rejiciatur, ac si quod hodie vituperandum sit, in omne tempus ineptum esse opporteat. Immo vero indicatio stationaria in quovis morbo recte sanando stabilienda mihi videtur.

Verum inficiari nolo, multos horum errorum evitari posse, si remedia specifica, i. e. morbum radicitus et funditus tollentia adhiberemus, nam sine ullo dubio „aeger (1) rectiori semita ad sanitatem proficeret et (quod majoris momenti est) extra aleam malorum, quae sequuntur aberrationes istas, in quas saepe invita dilabitur natura in morbi causa expellenda (utut potenter et docte ei ab assistente medico subveniatur)." Sed quum dicta remedia specifica, pleraque quidem, in piis nostris votis adnumeranda censeam, nihil restat, nisi ut indicationes morbi sedulo inquiramus et via magis rationali, sicuti mos est

(1) Sydenh. Op. ed. Kuehn. pag. 14.

inter medicos celeberrimos, metam nobis propositam attingere conemur. „Fortunate (1) enim medebitur, qui remedii exhibendi occasiones sagax captat, quive repertae indicationi potius, quam specificae cuidam remediorum virtuti confidit."

---

(1) Stoll, ratio med. I, pag. 145.

VITA.

Natus sum Samuel Sigismundus Fischer anno h. s. decimo octavo Glogaviae, oppido Silesiae superioris, patre Leopoldo, matre Ernestina e gente Schermann, quos ut Deus Optimus perdiu incolumes servet, maximopere precor. Fidei addictus sum veteri. Elementis imbutus per septem annos et dimidium in gymnasio Leobschuetziensi, quod t. t. directore Ill. Wissowa florebat, in literis edoctus sum. Neque possum, quin hoc loco praeceptoris humanissimi Beat. Hundt animo quam gratissimo recorder. — Maturitatis testimonio ornatus, anno h. s. XXXVIII. almam universitatem literariam Viadrinam adii et ab Ill. Otto, t. t. rectore Magnifico, inter cives academicos receptus, apud Ill. Purkinje, t. t. decanum ordinis medici, nomen professus sum. Anno praeterlapso Berolinum me contuli, ubi civitati academicae ab Ill. Twesten, medicinae studiosorum numero ab Ill. Hecker adscriptus sum. Post quatuor semestria Halam

petii, ubi ab Ill. Bernhardy inter cives academicos receptus, apud Ill. Krukenberg nomen professus sum. Tempore Paschali a. c. Berolinum iterum reversus ab Ill. Dieterici et ab Ill. Juengken civitati academicae et medicinae studiosis adscriptus sum. Per studiorum quadriennium hisce interfui scholis:

Ill. Braniss de logice et psychologia; Ill. Fischer de chemia; Ill. Nees ab Esenbeck de botanice; Ill. Pohl de physice; Ill. Glocker de mineralogia; Ill. Gravenhorst de zoologia; Ill. Otto de anatome theoretica et practica; Ill. Purkinje de physiologia; Ill. Mueller de anatome practica, physiologia, anatome comparata; Exp. Mitscherlich de materie medica; Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Ill. d'Alton de anatome; Ill. Blasius de ossibus fractis et luxatis; Exp. Troschel de arte fascias imponendi; Ill. Kluge de arte obstetricia.

Exercitationibus clinicis et medicis et chirurgicis interfui Cel. Wolff, Ill. Schoenlein, Cel. Truestedt, Ill. Krukenberg, Ill. Juengken, Ill. Blasius.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, gratias ago semperque habebo quas possum maximas.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico absolutis, nec non examine rigoroso rite superato, spero fore, ut dissertatione et thesibus defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Perfectior morborum cognitio nonnisi historiae medicinae ope assequenda mihi videtur.

2. Medendi methodum pro genio epidemio mutandam censeo.

3. Febres puerperales tot sunt, quot morborum acutorum species.

4. Gonorrhoea et syphilis indolis sunt omnino diversae.